



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 48. Cæsareo-Aulici Consilii sententia contra Wormatiensem Senatam
Lutheranum pronuntiata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

„sueto conventus Confluentini roboravi Sec. XVIII.
 Confluentiæ 27. Junii 1727. A. C. 1727.

*F. Joannes Deutsch Ordinis
 Prædicatorum p. t. Prior
 manu propria.*

§. XLVIII.

*Cæsareo - Aulici Consilii sententia
 contra Wormatiensem Senatum
 Lutheranum.*

Juratas horum testium depositiones
 Wormatiensis Episcopus Catholico-
 rum nomine ad Imperialis Consilii Tri-
 bunal transmisit, simulque adjunxit
 scriptum, in quo frivolæ Lutheranor-
 um cavillationes usque ad fæces erant
 detectæ. Præprimis ergo exponeba-
 tur, quod ex actis publicis & ipsa facti
 evidentiâ constet, Religionem Romano-
 Catholicam ante Lutheri schisma per
 plurima sæcula Wormatiæ solam &
 unicam floruisse, nec ullatenus per pa-
 cem Religiosam, aut Passaviensem
 transactionem vel Monasterio - Rysvi-
 censem vel Badensem pacem fuisse im-
 mutatam, sed potius firmitus roborata.
 Quod autem ante & post Urbem
 a Gallis incensam, & pacem Baden-
 sem semper Sacrum Viaticum publice
 & solemniter nemine contradicente non
 modo per totam urbem sed & ante Lu-

Rr 3

thera-

Sæc. XVIII
A. C. 1727.

theranorum Ecclesiam ædesque ad ægrotos usque ad hanc diem fuerit delatum, non tantum Parochi & testes jurato excepti testentur, sed ipsi etiam Lutherani, imo ipsimet Senatores, si eis juramentum deferretur, testimonium reddere cogentur; immerito igitur & duntaxat ex indelebili Catholicis sensim illimitatum Religionis suæ exercitium adimendi pruritu Magistratus Syndicum instigarit, ut solemniolem Sacrum Viaticum deferendi usum ab immemorabili tempore inter Catholicos consuetum ceu novitatem, & periculosum Religionis gravamen incusaret, & de Parochis populum ad hanc devotionem excitantibus apud Protestantium Principum Legatos Ratisbonæ quereretur, cum tamen hi Parochi id duntaxat, quod licitum erat, & ad quod vi sui officii tenebantur, executi fuissent.

His præmissis refellebantur ea, quæ Lutherani hac in causa pro se allegabant, cum ergo hi Catholicis opponerent, quod ipsi querelam hac de re jam Anno 1721. die 3. Jan. movissent, ad hoc responsum est, quod coram Episcopali Vicario, ut par fuisset, studiose questi non fuissent, ne luculenta hujus accusationis inanitas jam tum demonstraretur: cum enim jam ante
 Urbis

Urbis devastationem, & ultra hominum memoriam WORMATIÆ hic usus invaluerit, & Sacrum Viaticum sine consueta solemnitate duntaxat tunc fuerit delatum, quando vel loci distantia, vel instans ægroti periculum, vel aeris inclementia id suadebat, inde, manifeste patuisset, Lutheranos falso exposuisse I. quod Catholici innovationem in Religione invehent, II. quod Sacram Hostiam aperte in Hieroteca, & adhibito incenso & cum aqua benedicta ad ægrotos deferrent. III. Quod ad Lutheranorum querelas Anno 1721. hunc usum moderarint, imo ab eo omnino abstinuerint. IV. Quod nec ante, nec post tricennale bellum, nec in anno normali, nec a tempore immemoriali Catholicorum Sacramentum, ad infirmos publice fuerit delatum. Hæc omnia a Lutheranis falso fuisse exposita probabatur, eoquod in universo Orbe Catholico notissimum esset, quod nullibi unquam Sacra Hostia aliter quam in Ciborio recondita, & sine incenso, & aqua benedicta deferatur, & Catholici insuperhabitis Lutheranorum cavillationibus in continua possessione vel quasi illimitati exercitii Catholicæ Religionis quoad omnes actus sese conservarint, nec unquam hæc possessio vel per oppositos actus vel per

Sæc. XVIII.

A.C. 1727.

Sæc. XVIII. *acquiescentiam*, ut aiebant interrupta fuerit, nec per recens invecam sectam
A C. 1727. usus & Sacramenti veneratio primævæ
 Catholicæ Religionis institutioni co-
 æva interrumpi potuerit, aliunde vero
 fœminæ a Lutheranis in testes advo-
 catae duntaxat edixerint, quod vel non
 viderint Sacram Hostiam cum hac solem-
 nitate vel viderint quidem, sed sine so-
 lemnitate quandoque delatam fuisse; in-
 dea utem nec constaret, quod hæc So-
 lemnitas nunquam fuerit adhibita, nec
 amplius probaret, nisi quod aliquando
 ob præfatas causas fuerit omissa, ita
 tamen, ut eam adhibere integrum fuisset,
 ac insuper Stephanus Bender Ho-
 spes non nisi per biennium Wormatiæ
 substiterit, proin quæ prioribus annis
 gesta fuissent, testari non potuerit,
 ipsius vero Antecessores, ejusque Con-
 jux, si jurato fuissent interrogati, de
 opposito usu testati fuissent, uti Mar-
 garetha Böhmin, cujus tamen testi-
 monium Lutherani pro sua causa ad-
 duxissent, veritatis pondere pressa in-
 genue fassa esset, se ante biennium vi-
 disse, quod Sacerdos Sacrum Viati-
 cum publice detulisset, præeunte lu-
 cerna, & lumine accenso.

Postquam igitur hæc causa a Ca-
 tholicis ad Cæsareo - Aulicum Consi-
 lium devoluta erat, hoc omnibus rite
 per-

perpensis, & mature discussis die vigesima octava Maij pronuntiavit sententiam hujus tenoris. „Inspectis testimoniis partim juratis, partim sub fide „Sacerdotali depositis, viso etiam testimonio Margarethæ Böhmin constat, „& omnino compertum habetur, quod „Wormatiæ ante & post Badensem pacem Sacrum Viaticum in Ciborio publice per Sacerdotem rochetto & stola indutum, præeunte ædituo cum lucerna & cymbalo per Urbis plateas „& januas, nemine contradicente ad infirmos fuerit delatum, proin Patrochi per denuntiationes e suggestu ad populum factas nullam omnino innovationem introducere, sed duntaxat fidelibus ad pietatem excitatis, „pristinam devotionem & non aliam „vel novam Religionis functionem fovere studuerint, quam quæ ante & post pacem Badensem quiete in usum deducta fuit, hinc Wormatiensis Clerus in sua non interrupta, & abunde comprobata possessione vel quasi, publice & solemniter Sacrum Viaticum deferendi, illudque ægrotis juxta suæ Religionis ritum administrandi, deinceps a quovis sine contradictione quiete imposterum relinquendus est. „Sacra igitur Majestas Wormatiensi „Senatui clementissime ac serio injun-

R r 5

„git

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.

Sæc. XVIII. „git ac præcipit, ne in hac diuturna,
 A. C. 1727. „& tot sæculis continuata Sacrum Via-
 „ticum ad ægrotos deferendi possessione
 „ac exercitio Catholicos turbare, nec
 „eos sine omni jure, ratione & funda-
 „mento calumniari præsumat, perinde
 „acsi novitatem Westphalicæ paci con-
 „trariam invehere, novasque turbas
 „concitare moliti fuissent: Ab ejusmodi
 „ergo vexatione Senatus desistat, nul-
 „lumque impedimentum Catholicis op-
 „ponat, & intra bimestre suæ obe-
 „dientiæ testimonium Sacræ Cæsareæ
 „Majestati reddat, salvo tamen jure
 „suas deferendi querelas, si quod ju-
 „stum Religionis gravamen contra Wor-
 „matiensem Clerum se habere existi-
 „maverit. „

§. XLIX.

Acres similtates ob pacem Viennensem inter Principes exortæ.

Vid. supra hoc torn. pag. 177. Salmoni Ab-regé de l'Hist. d'Angl. t. 2. pag. 261. Postquam pax Viennensis, ut supra meminimus, sine arbitro, & reluctante Pontifice conclusa erat, totum Europæ systema plurimum turbari videbatur; neminem autem hic Tractatus Cæsarem inter & Hispaniæ Regem initus ægrius habebat, quam Gregorium I. Angliæ Regem, qui suum honorem graviter lædi, bellum in Anglos